Handschrift

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8405
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Siquidem et nostri doctores et aristotelici quoque volunt paruum et mag-
num absolute sed relatiue vocabula quantitatis esse. Ut ubi gracia
tu dicitur mus magnus et mons paruus respectu minorum et maiorum
dici intelligitur quia paruus mons respectu maioris montis et mag-
nus mus sine dubio respectu muris minoris enunciatur. Vi igitur
dicit ve terre et mari quia descendit dyabolus ad vos habens iram
magnam. Terre et mari nobis omnibus impios signat. Pulchre sub
intelligitur paruam iram que fine accepit et quam omnes electi pertrans-
sierunt talia passi qualia possunt intelligi per illud dei dictum. Quia
ego iratus sum parum. Dyabolus namque magnam habet iram super se po-
sitam scilicet irreuocabilem dampnacionis eterne sentenciam et illam impor-
tat terre et mari id est omnibus impiis. Qui cum deus iratus suis fuis-
set parum ipsi addiderunt in malum ut auferret illis mente spem ut
inferret illis obliuionem dei. Ve illis quia dyabolus quam habet
iram magnam communicat eis ut habeant ipsi quod addiderunt vel
addere voluerunt electis dei. Capitulum sequens xxviii.

Quomodo tandem remota est illa ira dei qua tunc temporis iratus fuerat
parum hostiis et muneribus. Hoc demque distat inter iram dei
paruam et iram dei magnam. Quod ira dei magna non expiatur victi-
mis et muneribus usque in eternum sicut et ad beatum Iob de eo dicto le-
uiathan id est dyabolo habente iram magnam dominus dicit. Non parcam
ei verbis potentibus et ad deprecandum compositis. Parua autem ira dei
placari potest hostiis et muneribus et sub lege et in gracia dispositis
maxime autem hiis qui super legem ut preceptum quisque spontanee
deuocionis super erogauit. Exempli gracia tradendo corpus suum pro
testamento dei. Quibus ergo victimis qualibus muneribus ira illa
qua tunc deus parum iratus fuerat placata siue remota est. Non holo-
caustis arietum et thaurorum neque milibus agnorum pinguium sed sicut in for-
nace babylonica tres pueri iussi in animo contrito et spiritu humilitatis
suscepti sunt. Ita septem fratres cum matre sua passi meruere suscipi sac-
rificium beneplacitum pro quo loco ut omni populo iram dominum placare dignum
fuit. Unde et statim post passiones illorum subiunctum quia iudas macha-
beus et qui cum illo erant conuocantes cognatos et eos qui permanse-
rant in iudaismo assumentes et inuocantes dominum ut inspiceret tem-
plo et ciuitati et voce sanguinis ad se clamantis audiret memoraret

Quod parua ira dei hostiis
et muneribus placari possit
magna autem placari non possit
Et de vii fratribus cum matre
sua passis quod beneplacitum
deo sacrificium fuerit .:.